



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

[D]ispvtatio VII. De Attributis Dei posituiis omnino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94274)

independens erga subditos eisdem penes duos, aut plures simul esse non posse facile demonstratur. Et sane, cum Dei & dominium & potestas, gubernationis optima esse debeant: monarchicæque omnium optima sit, vt Aristotel. 12. metaph. ostendit; in pluribus vno simul esse non posse euidentissimum est.

2. Argumentor Octauo, tum ex vsu harum potestatum dominij, gubernationis, & regni; tum ex vsu omnipotentie erga creatura, quæ in duobus, vel pluribus illis Dijs esse posse ad hoc argumentum permittit. Etenim vsus cuiusmodi potestatum, & omnipotentia, si in solidum & Deo digne ex in eorum singulis sint, independens ab alterius voluntate esse in vnoquoque eorum debet: ergo altero renuente posset alter absolute rebus creatis vt, ealque regere, & gubernare, hoc, vel illo modo producere, conseruare, & annihilare pro libito, & nutu suo solo. Hoc autem aliunde ex pluralitate ipsa Deorum repugnat: siquidem alter pro suo etiam solo arbitrio oppositum omnino in creatis, ac de creatis omnibus agere posset. Si autem eorum neuter causa, & voluntate sua cadat, innumera contradicoria euenient. Si autem alter solus compos voti sui euadat; alter proculdubio Deus non est. Nec valere esse summæ in eis vltibus, concordēs vt summæ bonos: concordia enim voluntatum diuersarum, etiam in æque bonis libera est, & contingens, non naturalis, & necessaria: quare absolute potest deficere. Confirmatur: quia Deus ad optimum absolute, imo in aliquo genere, persequendum non tenetur: ergo neque alter Deus tenetur ad persequendum, volendumque sue actione, siue regimine erga creaturas, quod alter vellet quantumvis bonus esset vtique: maxime, si alter optimum non vellet. Denique: vel ita alter voluntati alterius circa regimen productionem, & conseruationem creaturarum concordare tenetur, vt nullatenus voluntate sua ab illa discordare queat; vel ita, vt absolute discordare possit: hoc postremum, absolute absurda, & impossibilia deducta inferuntur. Si primum ea erit mutua dependentia in viu earum potestatum vnus Deiā voluntate alterius: ac proinde nullus eorum Deus erit, ealve potestates in solidum habebit.

3. Tandem nono, Deus non solum esse debet ens à se, ac proinde necessarium ens in se, sed etiam necessarium creaturis. Atqui, si plura entia à se, atque adeo plures Dijs sint, nullus eorum esset necessarius creaturis: ergo nullus eorum esset Deus. Minor constat: quia ad creaturarum productionem, conseruationem, regimen, & gubernationem, quous eorum permanente; deficientibusque, & sublati medio alijs satis foret; ac proinde nullus in particulari necessarius esset. Secundo: quia is solum Deus ad ea omnia requiritur, qui ex iis omnibus adesse demonstratur: atqui ex eis omnibus solum demonstratur vnus Deus, non plures, aut aliquis ex eis vage necessarius, aut aliquis ex eis determinat. Hinc autem probatur Maior, quia inde ponitur, atque admittitur in natura ens à se, & Deus: quia necessarius est creaturarum productioni, conseruationi, regimini, & gubernationi, vt ex datis demonstrationibus d. i. liquido apparet: ergo eisdem demonstrationibus, quibus Dei existentia, seu ens à se existens ostenditur esse necessarium, eiusmodi ens à se, & Deus nullus necessarius creaturis ad ea omnia demonstratur. Secundo probatur Maior: quia natura in omnibus superfluum odit, etiam in rebus, & causis minutule quantumvis virtutis, & entitatis: ergo multo magis in entibus infinitis, infinitæque potestatis, & virtutis, cuiusmodi Deus est: ergo in iis solum admitti potest ens nature necessarium, vt maiori propositione ponebamus.

4. Ex qua rursus demonstratur Deum vnum determinate fore: quia Deus vage, & pluralitatem Deorum supponit, cum terminis vage supponens non nisi in pluribus individuis esse possit, quos necessarios creaturis esse non posse satis ostendimus. Ac rursus: quia Deus vage ad ea omnia necessarius non est, cum, vt sic, nihil possit exercere, & operari. Vnde id ipsum demonstro syllogismo in *Dary*, sic efformato. Deus est ens necessarium non solum in se, sed necessarium etiam creaturis ad productionem, conseruationem, regimen, & gubernationem: atqui vnus determinat Deus, seu ens vnum à se in singulari est ad ea omnia creaturis necessarium: ergo vnus determinat, & ens à se singulare est Deus. Ex quibus omnibus patet

quanto iure Tertullianus 1. contra Marcion. cap. 3. dixerit. *Deus si non vnus est, non est.* Et cap. 4. *Deum, si semel unitatem excedat, numero Deorum determinato contineri minime posse.* Cum enim superfluo, ac sine fundamentis, & gratuito contra rationem plures vno Dijs chimericè inducantur, atque arbitrariarum, chimericarumque rerum numerus statui nequeat, neque plurium Deorum numerus poterit definiti. Si quando vero in Scriptura plures Dijs dicuntur ex gentium phrasi, ac non ex Dei sententia dicuntur, vel Dei nomen late sumitur, vt Psalmista, *Ego dixi: Dijs estis vos, & Filij excelsi omnes.* Quod de iis, ad quos sermo Dei factus est, Christus Dominus explicuit.

Disputari hic tamen posset: an vnitas, tam passio entis, quam singularitatis, quas Deo conuenire demonstrauimus, sine Dei attributa. Et quidem Dei attributa esse perspicuum ex dictis est: cum Dei essentia metaphysica sit esse à se, seu non ab alio, vt ostendimus d. 2. in quo nec vnitas metaphysica entis, seu esse indiuisum in se, ac diuisum à quouis alio, nec esse vnum singulare, æque immultiplicabile formaliter, seu non plures continentur: imo ex quo, vt vidimus, vtique demonstratur: quod autem specialia etiam Dei attributa sint, nec alia Dei prædicata, & attributa transcendunt facile etiam ostenditur. Nam Dei entitatem, & essentiam afficiunt, quam indiuisam in se, atque à quouis alio diuisam singularemque, & immultiplicabilem constituunt: quod nullum ex alijs attributis Dei formaliter præstat: quare neque eam rationem in se imbibitam habet, vt opus ad transcendendum erat.



DISPUTATIO VII.

De attributis Dei positiuis omnino.

DE N attributis Dei omnino positiuis, nomine nimirum, definitione, explicationeque nostra (nam in seipsis omnia Dei attributa positiua sunt) Quædam sunt vniuersalia, quæ entis, vt sic prædicatum metaphysicè consequuntur indiuiduè: cuiusmodi sunt veritas, & bonitas; quædam vero specialiora, vt perfectio, præsertim simpliciter simplex, quæ dicitur, solique Deo competit. Deinde vitalitas, seu viuens prædicatum: de quibus seorsim disputandum hic venit, vt de omnibus Dei attributis omnino positiuis disputatio habeatur. Licet enim alia etiam positiua omnino Dei attributa sint, vt prædicatum intellectiui, & volitiui, ea tamen proprii sede, suis nimirum specialibus controuersijs de scientia, & voluntate (quarum quarum controuersiam integram, præ difficultatibus suarum copia, & grauitate respicit) disputanda sunt. De dominio autem, regno, & sanctitate Dei non nisi post controuersias de omnipotentia, disputari commode potest, & si sint attributa omnino positiua: quia ex difficultatibus ibi examinandis, earumque resolutione circa ea pendet definitio. Omnipotentia vero iustam disputationem immediatè sequentem explebit.



QUESTIO I.

De veritate entitatiuæ Dei.

DE I x i de veritate entitatiuæ Dei, quæ passio entis est, ne hanc quæstionem cum alijs de veritate Dei in iudicando, seu cognoscendo, quæ ad controuersiam de scientia spectat, ac de veritate Dei in dicendo, quæ ad sanctitatem Dei pertinet veritas, quæ proprie est, vel confunderem, vel rectè methodi iniuria miscerem. Hic autem videndum, an præfata veritas in Deo sit: anque speciale eius attributum?

CERTAMEN I.

*Veritas entitativa, quae passio entis est,
Deo ex fide adest.*

1. *S*upponendum in primis ex controuersis metaphysicis est (quod satis etiam, licet breuius, attingimus controuersis de Trinitate, d. 7. q. 2.) in eis comitem veritatem rerum entitativam, siue in essendo à veritate cognitionis, quae vere de illa iudicatur, quaecumque ea cognitio sit, siue creata, siue increata & diuina, neque tanquam à termino, neque tanquam à forma pendere. Etenim sublata per possibile, vel impossibile omni, etiam diuina cognitione, lapis vere esset lapis, eo ipso, quod in se esset tunc autem nulla eius à cognitione, siue tanquam à termino, siue tanquam à forma dependentia esse posset: ergo eius veritas in essendo, siue entitativa à nulla cognitione penderet. Confirmatur, quia veritas in cognoscendo, seu cognitionis, quae res vere cognoscitur, potius penderet à veritate rei entitativae, seu in essendo. Neque enim ideo lapis verus lapis est, quia cognoscitur esse lapis. Sed contra potius, ideo vere cognoscitur esse lapis, quia, vere lapis, seu verus lapis in se est. Quod etiam respectu diuinæ scientiæ, & cognitionis de lapide verum habet, licet diuina scientia in se suaque veritate, & infallibilitate à creatis obiectis non penderet: cum de se sit infinita representatio vera & infallibilis anticipata omni creatorum representabili. Vt enim creata representet eorum extrinsecam positionem pro diuersis statibus spectat, siue qua in nullo statu creato obiectiuam veritatem, seu cognoscibilitatem habent. Quomodo autem cum hoc sit diuinæ scientiæ independentia & immutabilitas diximus d. 4. q. de Dei immutabilitate, iterumque dicemus controuersis de scientia.

2. Supponendum secundo est veritatem prefatam in essendo, licet nihil reale supra ens addat, tamen aliquid ex parte obiecti addere supra entis formalitatem, seu rationem, nec solum ex parte modi nostri cognoscendi. Hoc est contra Soarium nostrum d. 8. metaphysicis. & 1. de essentia & attributis, cap. 7. num. 8. loquor in opinione præscindenti ex parte obiecti rei eiusdem formalitates, quam cum Soario eodem, ac reliquis à Nominalibus defendo: vtrumque ex eodem principio, quod veritas in essendo entis passio metaphysica sit facile suadet. Si enim reale aliquid supra ens, siue entitatem eius veritas adderet, potentia Dei absoluta posset ab ente deficere, ac proinde inseparabilis absolute passio illius non esset, licet naturalis passio physice inseparabilis foret. Secundo, licet demus adhuc diuinitus inseparabilem physice non esse, si tamen realiter diuersa esse admitatur, non metaphysica quidem, sed physica passio esset habenda. Hac in re cum Soario conuenio. Sed inde etiam probo secundum, in quo ab eo discordo. Etenim in Soaristica præscindenti opinione, passionem metaphysicam entis essentiae cuiusvis cuius passionem esse dicuntur, diuersas formalitates, & prædicata obiectiuam esse debent ab eo, cuius passionem sunt, nec satis est eandem ex parte obiecti formalitatem diuersimode ex parte solius nostræ cognitionis concipi, aut intelligi posse.

3. Suppono tertio veritatem rerum entitativam, siue in essendo, fundamentum esse veritatis cognitionis, seu iudicii, quo vere in se esse cognoscuntur, ac iudicantur, sed tamen neque in eo veritatis entitativæ essentiam, & formalitatem metaphysicæ intrinsicam eius veritatis esse sitam. In primo cum citato Soario conuenio, probaturque ex dictis facillime: quia vt diximus n. 1. ideo iudicium, quo verum esse lapidem de lapide iudicamus, verum est, quia vere in se lapis est, atque veritatem habet lapidis entitativam: ergo veritas eius iudicii veritati entitativæ, siue in essendo lapidis illius innititur, atque fundatur: quare & est veri illius iudicii fundamentum. Quod autem in eo essentia & formalitas intrinsicæ metaphysicæ entitativæ illius veritatis non sit (in quo à Soario citato dissentior) suaderi haud difficile potest. Primo quia præ eam formalitatem, & rationem est in veritate entitativæ rerum ratio alia prior, vt explicabo n. 4. Secundo quia, vt dixi facta omni cognitione impossibili veritas entitativa, siue in essendo rerum peritaret ipso Soario annuente: quo in casu veri iudicii fundamentum esse non posset.

4. Suppono denique ex citatis controuersis rerum entitativam, atque in essendo veritatem essentialiter consistere in positiva soliditate essendi rebus omnino intrinsicæ, quæ non solum similitudinariæ, & apparenter talis res sit, sed re, & entitate sua sit talis. Vnde secundario ratio illa fundamenti veri iudicii de ipsa, quod talis res sit, metaphysicæ relictur. Probatur facile quia eo aurum, verum aurum est, & argentum verum argentum, quod non apparenter solum, & similitudinariæ, sicut auraleum, & stannum, sed entitate sua re ipsa aurum, & argentum est, quod autem hæc ratio, & formalitas prior sit aliis, atque omnium prima suadet: quia nulla alia ratio metaphysica ante ipsam ex cogitabilis est in veritate entitativæ rerum, atque ipsa prior metaphysicæ est ratione fundandi iudicium verum de ipsis, quod tales res sint. Primum patet, negarique minime potest, nisi ab assignante rationem, seu formalitatem metaphysicam priorem, quæ nullatenus est assignabilis. Secundum vero probatur: quia esse in se solidè, nec apparenter talem re ipsa in se rem quampiam est ratio à priori, ob quam potest fundare iudicium verum de ipsa, quod talis re ipsa sit; non autem è contra: quia hoc potest fundare à priori ostendere esse solidè, ac non similitudinariæ, & apparenter solum rem in se talem: ergo hæc ratio est illa prior. Secundo quia prius metaphysicæ in re quavis est, quod est in ordine ad se, & esse, atque entitatem suam intrinsicam, quam quod est in ordine ad extrinsecum aliud. Tercio à contrario: quia esse rem solum similitudinariæ, & apparenter talem in se, est causa cur iudicium falsum de ipsa, quod talis sit, fundare possit.

5. His positis facile discursu probatur 2. In Deo dari veritatem entitativam siue in essendo, quæ entis metaphysica passio est, ac dicitur: quia Deus non apparenter, & similitudinariæ solum Deus in se est. Sed re ipsa, atque in se solidè entitate sua est Deus, seu ens à se, &c. ergo habet veritatem entitativam Dei, nec solum apparenter, & similitudinariæ, ac proinde est verus Deus. Atque à posteriori metaphysicæ probatur: quia entitate sua fundare potest verum iudicium, quod Deus sit, si cognoscitur potentia adit, atque cognitio de ipso sit possibilis. Sed firmius probatur vterius ex Scriptura Ierem. 2. vbi de Idolis: opus artificum uniuersa hæc: Dominus autem Deus verus est. Ioann. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & 1. Ioan. 5. Hic est verus Deus. Thessalon. 1. Conuersi estis à simulacris seruare Deo vivo, & vero. Et alibi lapæ: quare veritas hæc de fide est.

CERTAMEN II.

Veritas entitativa Dei summa, & maxima, atque ipsius attributum est.

1. *D*Vas proposui conclusiones: Alteram, quod entitativa Dei veritas maxima & summa è possibilibus sit. Alteram, quod sit Dei attributum. Prima est omnium conclusio cum S. Thom. qu. 16. art. 6. Neque vllam in se, aut in probatione difficultatem patitur. Probatur facile: quia, sicut Deus est ens à se, seu summè necessarium, ita summam necessitatem habet essendi in se solidè, ac non solum similitudinariæ Deum: quod ipsum est esse Deum summè verum. Secundo: quia inde etiam habet esse fundamentum firmius, seu posse maiori firmitate fundare veritatem iudicii de ipso, quod Deus sit. Eo enim ipso, quod maioris necessitatis obiectum est, minus defectibilis est veritas iudicii, quo esse iudicatur, vt patet. Tercio probatur à paritate reliquorum prædicatorum, quæ tam essentialium, quam attributualium Dei. Omnia enim in suo quæque genere summa è possibilibus illius generis sunt.

sunt: ac proinde antonomasticè talia dicuntur, vt patet in prædicto entis, sapientis, potentis, boni, & similibus: ergo idem veritas entitativa Dei, ac prædicatum veri in Deo habebit. Quarto inde probatur: quia licet ob summam omnium prædicatorum Dei identitatem tam in abstracto, quam in concreto de Deo prædicentur, tamen obstruam corum præ reliquis sui generis excellentiam significandam, ita prædicantur, vt sapienter insinuat S. Thom. ibidem. Nec mirum, nam in creatis etiam, vt excellentiam alicuius in aliqua re explicemus abstracta pro concretis de illo dicimus; vt de sapientissimo, ipsam sapientiam de fortissimo ipsam fortitudinem esse.

2. Quod autem veritas entitativa Dei ipsius attributum, & proprietas metaphysica specialis sit, licet æquè communis conclusio sit, difficultates paritur in communibus principiis non leues. Probatur à Soare & communiter attributum esse; quia dicere Deum, ac dicere verum Deum omnino synonymum non est: ergo ex parte obiecti veritas Dei, seu Deus, vt verus, aliquid ultra Deum significat: quod ipse putat esse connotationem ad iudicium verum, quod Deus sit, quæ in ratione fundandi eiusmodi iudicium conuenit: verum hoc non esse, quod ex parte obiecti significatur supra Deum veritatis nomine ostendimus cert. 1. in 3. sed positum, nec solum similitudinariam soliditatem essendi in se Deum: vtroque autem modo videtur nihil addi supra conceptum, & obiectam formalitatem Dei, seu entis à se, ac proinde *Deus*, & *verus Deus*, idem omnino ex parte obiecti significare. Item, cum veritas iudicij sit conformitas eius cum obiecto: atque huius conformitas cum obiecto cognitio mentaliter, vel significatio per voces præcisè, vt concipitur, vel significatur, esse omnino debeat: atque in hoc iudicio vero; *Deus*, vel *ens à se est Deus*, vel *ens à se nihil aliud sit ex parte obiecti, subiecti, & prædicati, quam ens à se, vel Deus*; quicquid ex parte Dei in ea propositione cognoscitur, & significatur, aliquidque ex parte rei obiectæ ad veritatem, seu conformitatem eius iudicij cum suo obiecto apponit, solus Deus, seu ens à se, ac proinde Dei essentia est; nihilque supra illam ex parte obiecti adest, quod eius attributum sit, atque iudicij illius veritatem fundet, fundareque possit.

3. In nostro vero explicanda veritatis entitativæ modo eadem videtur difficultas virgere. Tum, quia rationem hanc fundandi iudicium verum prædicatum Dei ab essentia distinctum, ac consequens metaphysicè conceptum formale veritatis Dei esse diximus. Tum, quia primarium huius conceptum in soliditate essendi à se, & non apparenter, & similitudinariè Deum, & ens à se posuimus: in quo nihil aliud ex parte obiecti videtur contineri, quam ratio entis à se seu Dei. Sicuti in auro vero (quo rem explicabamus) nihil aliud esse videtur ex parte obiecti, quam essentia auri, quam ex parte obiecti aurum similitudinariè, & apparenter solum tale, vt auricum, non habet; sed substantiæ auri negationem, atque rei alterius auri accidentibus substratam, & quasi connectam substantiam. Verum respondetur: in his prædicatis, quæ & solidè, ac verè, & apparenter, ac similitudinariè possunt obiectis rebus competere, cuiusmodi est entis prædicatum, quod signentis etiam apparenter, ac similitudinariè, re autem vera entibus realibus auri, & entis à se Dei, & similibus, negari non possit, quin diuersum quid sit prædicatum illud, ab eius soliditate seu veritate in subiecto, cui tribuitur: alioqui ex sola terminorum apprehensione eius conuenientia cum subiecto, de quo apprehenditur bene, ac verè indicaretur, vel saltem ex eisdem principiis, quibus illud concipitur in subiecto, bene ac verè indicaretur esse in illo; cuius oppositum experientia ipsa suadet: qua aliunde, conueniat nec ne rebus, in quibus apprehenditur, comprobamus, vt in iudicio non erramus.

4. Est igitur soliditas essendi identitas realis prædicati cum subiecto, quæ est motum iudicij veri, quæque termino entis, vel auri, vel entis à se, aut Dei, nullatenus explicatur, vel auri, vel entis à se, aut Dei, nullatenus explicatur: verum nomine *verus* adiuncto: sicut nomine *falsus*, explicatur disconuenientia prædicati cum subiecto. Ex quibus patet ad opposita. Licet enim in hac propositione: *Deus est Deus*, quæ vera est, obiectum ex parte terminorum solus Deus sit: at in hac: *Deus est verus Deus*, iam inuoluitur ex parte termini,

seu prædicati identitas illa, ob quam prædicatum Dei, quod de se illam non significabat, Deo conuenit, & ob quam prima propositio vera est. Vnde etiam constat cur veritas fundamentum veri iudicij illius primi sit: nam ea realis identitas & conuenientia est, quæ verum iudicium illud facit; sicuti disconuenientia & negatio identitatis eius falsum aliud de Deo solum apparenti redderet. Hinc etiam patet ad secundum. Verum enim est ens, siue à se, siue ab alio, atque aurum solum apparet, & similitudinarius tale esse, quia sub ea similitudine est negatio entis, seu auri: ac proinde veritatem, & soliditatem auri, vel entis in ente, seu auro vero in exclusionem eius negationis stare; at neutrum nomine entis, siue auri significatur, nisi addatur verum, vel falsum ens, seu aurum.

5. Quod autem veritas entitativa Dei speciale illius attributum sit, grauiorem adhuc in communibus principiis patitur difficultatem. Videtur enim esse prædicatum omnia Dei attributa transcendens. Tum quia omnia prædicata entis à se, quod omnia prædicata realia diuina, sicuti & ens ab alio creata omnia videntur transcendere. Tum, quia quodvis solidè, nec apparenter solum, tale est, ac proinde fundare potest iudicium verum, quod tale sit. Cæterum in principiis nostris, quæ entis vniuersim transcendentiam negant, atque etiam entis à se per attributa diuina transcendentiam insinuant, vt ostendimus supra, difficultas prima euascescit. Atque inde etiam secunda disparet. Cum enim aliud esse physicum, aut metaphysicum præter esse essentia diuinæ Dei attributa non habeant, solumque iure identitatis realis cum illo, & sint, & existant, atque ab illo entia adiectiua solum metaphysicè sint soliditatem essendi de se præcisè non habent, adhuc metaphysicè, sed ex esse essentia: quare nec propriam sibi metaphysicè intrinsecè veritatem; sed ab essentia metaphysicæ Dei veritate ipsis metaphysicè extrinseca vera sunt. Qua de re latius, aliusque diximus controu. de Trinit. d. 7. qu. 1. & 2. quo lectorem remittimus ne eadem inutiliter repetamus.



QVÆSTIO II.

De Dei Bonitate.

DEo hic etiam de diuina bonitate examinaanda sunt: an scilicet Deo conueniat? atque, an in Deo speciale sit attributum. Loquimur autem de Bonitate Dei metaphysica, quæque entis passio dicitur; non autem de Bonitate morali, aut Beneficentia, seu propensione ad beneficiendum aliis, de quibus agemus controu. 4. & 5.

CERTAMEN I.

Summam in Deo Bonitatem physicam, & metaphysicam esse monstratur.

1. **P**hysicam Bonitatem rerum non aliter commodius definiemus, quam per physicæ malitiæ, seu mali oppositionem. Cum autem malitia rei defectus sit: quia id solum malum est, cui aliquid deficit, seu quod in aliquo deficit: bonitas per defectus negationem apprimè explicabitur. Eam verò in absolutam, & relatiuam diuisimus, definiuimusque controuers. de Trinit. d. 7. qu. 3. cert. 1. ubi obseruauimus (quod hic etiam dictum puta) de Bonitate absoluta esse sermonem; nam metaphysicæ bonitas, quæ entis passio, & attributum est, relatiua ad alia non est, vt ibidem ostendimus: quare neque rationem bonitatis vniuersim sumptæ in ratione relationis conuenientia ad aliud sitam certissimum esse debet contra Durandum in 2. d. 34. qu. 1. num. 11. & 22. & alios innotatos à Valq. d. 23. cap. 3. alioqui Bonitas in absolutam, & relatiuam diuidi non posset cum nulla absoluta, ac non ad aliud relatiua, esset possibilis. Nec refert bonum ne

ORTEGA
In A. pari
D. VIa

ut re, seu bonitatem in honestum, vile, & delectabile diuidi adequatè. Ea quippe diuisio non bonitatis secundum se, sed in ordine ad appetitum est, qui ordo posterior bonitate intrinseca formaliter est. Ibidem autem n. 2. rerum bonitatem absolutam (quæ scilicet ad ipsam pertinent rem, cuius bonitas est) in primariam, & secundariam diuidebamus. Primariam appellauimus, quæ ad rei constitutionem intrinsecam essentialem, & entitativam spectat. Secundariam quæ solum ad eius accidentariam constitutionem pertinet. Vnde quia rerum essentia dupliciter, siue in duplici ordine dicitur, physico, & metaphysico. Dupliciter etiam bonitas primaria diuidetur.

2. Quoniam vero essentia præcipuus, ac primarius conceptus est, esse, siue existere: Ex eo quidem præcipua rerum bonitas pensanda est: ac proinde bonitas hæc absoluta primaria cum esse rerum, seu ente conuertitur. Ita docente Aristot. sæpe atque 1. ethic. cap. 6. sub init. *Cum bonum æquè ad id quod est dicatur.* Ex quo Aug. 1. de doctr. Chrît. *In quantum sumus, boni sumus.* Et qu. 24. ex octoginta tribus. *Omne quod est, in quantum est, bonum est.* Quibus consonat S. Thomas 1. part. quæst. 4. artic. 1. ac plures alibi; cæterique tam Philosophi, quam Theologi. Inde vero tria obseruanda veniunt. Primum bonitatem primariam rerum, entisque comitem diuidi rursus in bonitatem primariam absolute talem, & in bonitatem secundum quid iuxta duplicem essendi, seu entis modum in rebus repertum. Nimirum essendi absolute, qui solis conuenit entibus totalibus, in quouis ordine siue physico, siue metaphysico, quæ absolute esse dicuntur, atque directe, & per se in prædicamento collocantur; & in bonitatem secundum quid talem, iuxta alium essendi modum secundum quid solum, qui entibus partialibus, seu partibus entium totalium comperit, quæ neque absolute entia sunt, sed cum addito *partialia*, neque per se & directe in prædicamento collocantur, sed reduciuntur solum ad entium totalium prædicamenta spectant.

3. Inde etiam obseruandum venit secundum: nempe entia omnia, siue partialia, siue totalia (cum tamen entia in se, & ratione sui entia sunt) bonitatem absolutam primariam, vel absolute, vel secundum quid talem, necessario habere eo ipso, quod vel totaliter, vel partialiter sunt, siue physice, siue metaphysice; quæ vero in se, & ratione sui entia, seu entitates formaliter non fuerint, nullatenus bonitatem primariam, adhuc secundum quid, habebunt: cum eis præcipuum, ac necessarium bonitatis primariæ fundamentum, nempe esse, deficiat. Id quod solum aliquibus formalitatibus, seu prædicatis metaphysicis, ac metaphysice aliquod ens componentibus potest accedere in Scotica, & nostra opinione de adequata entis à suis differentis abstractione, & præcisione. Tertium rursus inde constat bonitatem absolutam primariam absolute talem idem omnino formaliter esse, atque perfectionem, quæ quidem in totalitate entis consistit, ut quæstione sequenti videbimus. Ac tandem inde constat bonitatem primariam absolute talem, quæ entis passio, atque cum illo ad conuertentiam dicitur, non de quouis ente etiam partiali, sed solum de totali ad conuertentiam dici, cuiusque esse passionem: ita ut repugnet esse aliquod ens absolute tale, de quo verum non sit bonum esse.

4. Atque ex his sanè Deo bonitatem physicam, & metaphysicam primariam non solum absolute, sed summè talem adesse planè demonstratur. Etenim bonitas hæc entis prædicatum absolute necessario consequitur, atque in eo fundatur, ut eo gradu, quo sit ens, bonum sit: vnde quod absolute ens non est, neque est absolute bonum: atqui Deus non solum absolute ens est, sed summè, seu summum ens: ergo non solum absolute, sed summè, seu summum bonum est: ergo & summam habet bonitatem. Probatur secundo ex supra data bonitatis vniuersim dictæ definitione. Ex ea quippe constat bonitatem, hanc primariam rerum, entisque perdissequam dicere negationem defectus in essendo: atqui Deus summè distat à defectu essendi: cum ens à se sit: ac proinde summæ necessitatis in essendo, ensque summè necessarium, seu necessarium physicè, & metaphysicè sit: ergo Deus summè, ac summum bonum

est. Tertio probatur: quia Dei bonitas physica, & metaphysica primaria entis comes (sicut & prædicata reliqua diuina) ab alio non sunt, sed à se, atque reliquarum bonitatum possibilium exemplaris causa, & efficiens. Vtroque autem titulo debet esse necessario, atque è conceptu suo indiuisibili infinita, & summa. Scio conclusionem hanc à multis probari ex illo Matth. 19. & Lucæ 18. *Nemo bonus, nisi solus Deus*; aliique locis, quasi in eis expressè, atque in terminis, ut aiunt, contineatur. Ego vero eis locis, & similibus Scripturæ, quæ de Dei bonitate sonant, nihil pro præsentis conclusionem contineri reor. Est siquidem sermo de Dei bonitate morali, vel beneficentiæ, ut legenti ex contextibus constabit. Vnum tamen locum expressum lego pro hac conclusione Exodi 33. vbi ad Moysem de se Dominus: *Ostendam tibi omne bonum*, atque ex aliis, quibus summè diligendus dicitur, euidentissimè eius summa bonitas inferitur.

5. Addo Denique propriè, & solummodo Deum essentia sua, seu per essentiam bonum esse. Est communis omnium Theologorum conclusio. Eam tamen non ita intellige, ut eius essentia formalis bonitas sit, cum hæc sit essentia diuina attributum, ut statim videbimus. Sed quod nullo realiter sibi superaddito bonitas in eo sit, ut docet S. Thom. 1. part. quæst. 6. artic. 5. & quæstione 19. art. 3. quod verissimum esse ex Dei simplicitate constat. At proprium Dei id esse videtur difficile: quævis enim creatura nullo etiam realiter ipsi superaddito bona est: siquidem omnis entis passio metaphysica bonitas est, quæ re ipsa separari ab ipsa nequit. Nec valet essentia ab existentia creaturarum realis distinctio Thomistica, quam non admittimus: quare, si existentia sua creaturæ bonæ re ipsa sunt, & essentia sua bonæ erunt, responderi posset ex sententia S. Thom. 1. part. quæstione 19. art. 3. & 6. ad 2. & 1. & quæstione 6. art. 4. & 1. contra gent. cap. 81. ratione vltim. vbi Ferrara, & 4. contra gent. cap. 13. vbi docent entia possibilia, præcisè adhuc, nec solum purè possibilia, nec bona esse, neque amari à Deo ut talia: quod verum habere potest, etsi essentia, & existentia re ipsa non differant. Cum enim actu absolute non sint, neque entia, neque bona absolute actu pro eo statu sunt, sed solum possibile: quod satis est, ut desiderari à Deo possint, ut actu vel de præsent, vel de futuro sint. Sed, licet probabilis, veraque fortasse solutio sit, de quo fufius controuerfis metaphysicis, ac de voluntatè Dei. Respondet euidentius adhuc in omni sententia creaturæ ita esse possibile, ut sint essentia sua contingentes, seu entia contingentia, quæque esse, ac non esse, ac proinde quæ sui esse, & entitatis defectum pati possint, ac proinde quæ essentia sua non excludant sui esse, ac entitatis defectum, & negationem. Deus autem cum essentia sua ens existens, & necessarium sit, essentia sua sui esse defectum & negationem excludit, ac necessario excludit, ut diximus: quare & solus essentia sua bonus est.

CERTAMEN II.

Bonitas hæc attributum speciale Dei est.

1. Diximus sæpe attributa Dei diuersam ex parte obiecti formalitatem à Dei essentia præsentare debere, nec satis esse eandem formalitatem entis à se, seu essentia diuinæ diuersimodè à nobis concipi: nihil autem diuersum ex parte obiecti à prædicato entis à se diuersum bonitate hac primaria, & entitativa Dei obiecti videtur. Si enim bonitas hæc est negatio defectus essendi, siue essendi negatio, erit negatio negationis essendi, seu entis: quare nihil aliud erit, quam ipsum esse, seu ens, quod solum fixæ negationi, seu non esse sui contradicit: ergo nihil ex parte obiecti conceptu, & voce bonitatis cognoscitur, aut significatur, quod conceptu, & voce entis à se de Deo non concipiatur, aut significetur.

aut significatur: ac proinde bonitas Dei eius essentia, non autem attributum Dei erit. Id quod vniuersim de omni entitatibus rerum bonitate, quæ ad conuerentiam cum ente, eiusque passio dicitur, docuisse videtur August. recitatis locis certam. 1. numero 2. Et quidem Soarius dicit. metaphys. sect. 1. numero 14. de hoc modo accepta bonitate & numer. 17. eam tandem rationem reddit distinctionis: quod, scilicet, à nobis concipiatur bonitas per modum formæ denominantis ens bonum, atque illi conuenientis; atque ens, vt subiectum denominatum. Verum id etiam inuenitur inter entitatem, & ens: cum tamen satis non sit, vt alterutro nomine diuersum quid metaphysice ex parte obiecti significetur.

2. Nec magis difficultati occurritur ex eius doctrina ibidem numero 12. quod scilicet, quatenus rationem dicit conuenientie ad naturam habentem capacitatem, inclinationem, seu coniuunctionem cum illa. Nam in primis est consideratio hæc bonitatis relatiue, & ad aliud, non bonitatis ens absolute in se, & ad se, extrinsecæ quidem, non intrinsecæ enti, ac proinde, quæ eius passio metaphysica non sit. Secundo: cum nihil sit, quod, licet aliis conueniat, aliis non disconueniat, æquæ erit malum passio entis, atque bonum: quare male bonum, seu bonitas potius, quam malum passio entis dicitur vt & recte arguebat Vasquez citandus d. 23. capite secundo, numero quinto. Quod si dicas illud, cui conueniens bonum est, esse appetitum, ac proinde bonitatem esse entis, appetibilitatem, vt indicare videtur Soar. numero 14. hinc, sicut de veritate metaphysica philosophatur, contradiceret, quæ ipse docet numero 18. ex Caiet. 1. part. quæst. 5. articulo 1. & Capreolo in 2. d. 2. quæstione 3. Ferraria 1. contra gent. cap. 3. recte ita explicantibus S. Thom. docentem rationem boni rationi entis superadditam esse bonum appetibilitatem. Nimirum bonitatem entis formaliter non esse formaliter, sed fundamentaliter eius appetibilitatem formalem, eaque priorem: vade verum à priori est: quia ens est bonum, est appetibile. E contra vero esse bonum, quod appetibile est, solum à posteriori inferitur, vt bene S. Thom. 1. ethic. cap. 1. ad illam Aristotelicam boni descriptionem: *bonum est quod omnia appetunt.*

3. Prefate igitur difficultati dupliciter respondeo. Primo pro bonitate Dei, eiusque essentia metaphysica. Licet enim hæc dicat existentiam actualem à se, quæ re vera defectum essendi, seu negationem sui esse in Deo, sicut & in aliis entibus actualibus, excludit: aut existentia entis significata, & concepta, exclusio sui non esse, siue defectus essendi formalissime, quatenus ens exclusio est, non concipitur, nec significatur. Id enim, nisi negatione, & defectu, qui excluditur, conceptu, & significato, concipi, significareque non potest. Hæc igitur exclusio defectus sui esse, seu negationis essendi, qui ex parte obiecti in ente concipitur, tam physico, quam metaphysico, bonitas primaria entis in se, & ad se est, eiusque passio: quia, vt diximus, in negatione, & exclusione defectus essendi consistit, atque per illam apprimè explicatur. Vnde ad argumentum oppositum patet solutio. Indeque etiam patet quo modo bonitas Dei summa sit: quia, licet æquæ excludat formaliter existentia entis creati, tam physice, quam metaphysice defectum, seu negationem sui esse: tamen cum eius existentia necessaria absolute non sit, quia ab alio est, non ita necessario ab illa eius negatio, & defectus excluditur, atque ab existentia, seu ente diuino sui negatio, & defectus propulsatur: quia necessitas essendi, quæ ita obligatur sui esse defectus, & negatio, diuersa formalitas est à prædicato essendi, seu entis à se: siquidem ea necessitas essendi metaphysice per prædicatum entis à se à priori demonstratur, vti omnes Theologi, & Philosophi iam faciunt.

4. Secundo respondeo cum Vasquez capite sexto, numero 18. ex dictis certam. primo, numero tertio, Bonitatem primariam absolute talem, quæque, vt entis passio, ab Aristotele, & Philosophis numeratur esse entis totalis solummodo, seu entis totius, quod non solum esse, siue existentiam claudit, sed & alia omnia, quibus, vel physice vel metaphysice constituitur, ex

Christoph. de Ortega, De Deo Vno, Tomus I.

quorum integritate, seu integratione, bonitas absolute talis in quouis genere entis resultat, ac proinde bonitas eam dicit integritatem quam entis conceptus non dicit. Licet autem in eo genere siue physice, siue metaphysice totum ens eis ipsis componatur: aut eius natura compositio cuiusmodi non est, vt recte aiunt Nazian. orat. 38. illis verbis *Immensus igitur*, & orat. 42. verbis eisdem vbi Nizetas, & Pselus. Ex quo à contrario inferunt, neque simplicitatem Dei naturam esse, sed aliud esse à natura; diuersitate quidem metaphysica solum & rationis, non reali.

5. Aliunde vero bonitatem adhuc summam, & per essentiam Dei attributum speciale non esse contendere aliquis posset: quia nimirum diuina omnia prædicata non minus quam entis à se prædicatum, vel transcendat, vel saltem consequatur. Et si, vt diximus, bonum diuersum quid ex parte obiecti ab ente sit. Primo enim diuina omnia attributa, & prædicata entia esse debent, cum nihil purum non sint. Secundo quia per omnes sunt ea omnia perfectiones quod ipsum est, bonitates esse, vel saltem bonitate constare: licet aliquid aliud perfectio addatur: imo excellentes bonitates Dei attributa communiter essentur: cum perfectiones simpliciter simplices ab omnibus reputentur, atque ideo Deo attribuantur. Verum nihil hæc omnia probant, ac proinde speciale Dei attributum ab aliis diuersum bonitatem esse dicendum, tenendumque omnino est.

6. Primum supponit attributa diuina entis à se prædicatum imbibere, seu esse entia à se metaphysica substantiæ, cuius oppositum supra non semel ostendimus: imo id etiam Personalitatibus diuinis præcisè sumptis negauimus contra, de Trinit. d. 7. qu. 1. vbi ea de re plura sunt. Nam entia adiectiue, quatenus existentia, & entitate essentie iure identitatis realis cum illa, & existunt, & sunt physice, & metaphysice: ac proinde licet sint nihil reale substantiæ, adiectiue tamen sunt aliquid, ac non purum nihil sicut negationes, & Chimære, vt constat ex dictis ibi in simili de personalitatibus. Ex quo constat eis, ne bonitatem quidem secundum quid competere, nedum absolute talem quæ Deo enti totali competit. Secundum supponit omnia prædicata diuina perfectiones, & simpliciter etiam simplices esse: quod licet vulgo nullo examine accipiat, rigidum tamen examen requirit quæstione proxima habendum.



QVÆSTIO III.

De diuina perfectione.

¶ Vt d perfectio absolute talis, & perfectio simpliciter simplex sit, videndum primo accuratè erit, vt post modum, an vtrique, & quo gradu, & modo in Deo sit, dilucide explicetur.

CERTAMEN I.

Perfectionis vtriusque quidditas & essentia examinatur.

1. Bonitatem quampiam rei cuiusvis in se (quo sensu de Dei bonitate disputauimus) idem prorsus, quod eius perfectionem esse censetur communiter, vt videre est in Vasquio, & Soario id sæpè, & docentibus, & supponentibus locis citatis, in Becano 1. part. tract. 1. cap. 4. initio. Lessio lib. 7. de attribut. c. 1. initio & supponi videtur à S. Thom. 1. p. qu. 5. art. 1. ad 1. vbi ait: *Bonum dicitur rationem perfecti*, ex quo statim fere sic intulit. *Vnde quod est ultimo perfectum dicitur bonum simpliciter; quod autem non habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamvis habeat aliquam perfectionem, in quantum est actu, non dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter.*

ORTEGA
En la parti
D Via

simpliciter, sed secundum quid. Id quod ex stato apud Philosophos, & Theologos omnes proloquio, & principio: *bonum ex integra causa, malum ex quocunque defectu.* (Id enim prius perfectum est, quod nullum defectum vltimum habet) legitime videtur inferri. A nobis etiam ipsis admittitur videtur qu. 2. cert. 3. illat. 3. & controuersi. de Trinit. d. 7. quæst. 3. cert. 1. Quid autem in hac communi cogitatione veri sit perfectionis definitio deprehenditur.

2. De ea vero definitione audiendus iterum est Aristoteles recitatus citato loco de Trinit. Etenim 3. physior. cap. 6. text. 63. *totum, inquit, & perfectum, aut idem penitus sunt, aut naturam finitimam habent.* Id quod ex definitionis identitate probat text. 64. verbis historicis. *Cuius nihil est extra, id est perfectum, ac totum.* Hoc enim pacto totum consueuimus definire, totum dicentes, id esse, cuius nihil est extra. Eandem perfecti definitionem reperit 1. de Caelo cap. 4. text. 23. ubi perfectum esse, ait, id, extra quod nihil eorum, quæ sunt ipsius, accipi potest. Rursus tandem 5. metaph. cap. 16. text. 21. ubi duo membra perfectionis initio enumerat, ac tandem perfectionem vniuersim dictis consone definit. *Quocumque igitur per se perfecta dicuntur, toties dicuntur. Quadam eo quod secundum bene in nullo deficiunt:* Ecce moralem perfectionem: *neque habent in aliquo genere excessum:* quia nihil in suo genere (quodcumque illud sit) eis deficit: Ecce metaphysicam, seu physicam bonitatem: *neque est quidquam extra:* pertinentium ad ipsa in quouis genere: Ecce definitionem perfectionis absolute talis, cui definitioni consonat Isidor. 7. etymol. cap. 1. post med. scribens: *Deus perfectus dicitur, quia nihil ei possit adici.* consentiunt & scholastici omnes cum S. Thom. 5. metaph. text. 21. lect. 18. & in cap. 2. Dionys. de diuin. nom. lect. 1. col. 2. & 1. part. questione 4. articul. 1. ad 1. questione 5. art. 5. corp. & communis hominum gentiumque sensus. Vnde Latine perfectum, consummatum omnibusque numeris absolutum dicitur. Hispanice vero: *Acabado, consumado,* linguisque aliis, æquivalentibus vocibus explicatur.

3. Porro ex his constat perfectum simpliciter idem omnino esse, atque simpliciter bonum, vt aiebat S. Thom. recitatus num. 1. de quo bono seu bonitate proloquium illud: *Bonum ex integra causa,* verum habet, ac proinde rei perfectionem, & bonitatem simpliciter dictam, seu consummatam idem prorsus esse: constat item bonitatem, quæ ad conuenientiam cum ente dicitur (de qua questione 2.) idem cum rei perfectione simpliciter & absolute tali non esse. Cum plura quæ ad entis cuiusvis perfectionem, & consummatam bonitatem spectant, reipsa ab ea differant atque alterius sint generis, & ordinis. Nempe alia ordinis physici, alia moralis: & ordinis physici plura accidentia sunt, ex his, quibus entis substantialis perfectio consummata, & simpliciter talis coalescit. Constat Tertiò rei totalitatem intrinsecam præcisè perfectionem simpliciter non esse: quia nullum totum siue ex essentialibus, siue ex integrantes suis partibus intrinsecè constitutum ita absolute perfectionis, & bonitatis est, vt nihil, quo melius sit, esse absolute possit, ipsi deficiat: cum sic sumpto toti plura physica, & si rationale sit, moralia, quibus perfici possit, nondum adfuerint. Ea vero totalitate habet bonitatem, & perfectionem metaphysicam simpliciter suo in genere entis, quæ ad conuenientiam cum ente dicitur, cuiusque est passio: quare, si de ea solum totalitate intelligatur, Aristoteles ex physicis recitatus num. 2. rectè dixit, perfectum, scilicet in genere entis, idem esse quod totum. Atque eo sensu rectè dicitur bonitatem, quæ entis est passio perfectionem, scilicet in genere entis esse, atque soli enti totali conuenire. Verum ea perfectio, cum in genere aliali quo sit, non absolute, & simpliciter, sed secundum quid perfectio, & bonitas, scilicet in suo genere est.

4. Claret etiam ex his nihil, quod totum, seu perfectum siue essentialiter, siue accidentaliter physice, vel moraliter componit, aut afficit perfectionem absolute & simpliciter perfectionem, sicut neque simpliciter bonitatem, sed solum secundum quid esse. Si enim boni-

tas, & perfectio simpliciter in totalitate, & integritate omnium quæ rei sunt, siue ad ipsam spectant constituti, vt vidimus, nihilo magis pars, aut accedens rei eius perfectio absolute, & simpliciter, quam eius totalitas, & integritas esse poterit. Sunt autem perfectiones secundum quid; quia sunt quid rei perfectionem absolute, & simpliciter talem sicuti & totalitatem, seu integritatem eius constitutens: Ideoque rei perfectiones vulgo dicuntur, & bonitates, præcipue, quæ vitio loco ordine naturæ rem integrant: eis quippe res completur, & consummatur, cum reliqua omnia illius supponat. Id autem, quod de partibus, & affectionibus rei diximus, de physicis sunt vera vniuersim; secus de metaphysicis, quæ in se formaliter entis substantiæ metaphysici rationem formalem non claudunt: ea siquidem cum actum entitatum de se non habeant (in quo primaria bonitas, & perfectio, adhuc secundum quid, ac reliquarum fundamentum) nec bonitatem & perfectionem adhuc secundum quid habebunt vt quæst. 2. cert. 2. docebamur; nisi ratio entis, seu existentis alterius prædicati, cuius entitate, & esse, iure physice identitatis adieciatur, & sunt, & existunt, simul aduocetur.

5. Restat conceptum perfectionis simpliciter simplicis exactè declarare: de quo nonnulla diximus controuersi. de Trinit. d. 7. quæst. 3. cert. 1. n. 5. & 6. receptam eius definitionem dedimus ex Anselmo 5. Prologi cap. & 14. Monolog. *Quod melius est in aliquo non ipsum, quam ipsum: vt non aurum, quam aurum.* Nam melius est homini esse non aurum, quam aurum. Nempe, quod melius est omni positum opposito, atque cum ipso impossibili, ipsiusque destructio; vt non aurum, quod est homo, melius ipse est auro, quod est non homo, aut quouis alio ente, quod hominis negationem innouit; quam definitionem clarius iam Doctores tradunt, *quod melius in vniuersum est ipsum, quam non ipsum,* ubi verba pugnare videntur; sentus autem, & sententia vtriusque concordat. Vocibus enim, *non ipsum,* ab Anselmo significatur positum, in quo alterius cuiusvis negatio includitur ob impossibilitatem. Diximus autem contra Cap. Hurtado, & Ruiz citato loco, id, cui melius esse debet simpliciter simplex perfectio totum esse, non partem alteram, quæ ea perficitur. Tum, quia perfectio simpliciter simplex totius, non partis est. Tum, quia Dei solus est, in quo partes non sunt. Tum, quia id expressè verbis Anselmi excluditur: imo vero melioritatis huius comparatio non ad id, in quo perfectio eiusmodi est, seu respectu totius, quod perfectum simpliciter est, fieri debet, aut potest; alioqui creata tota omnia simpliciter simplicem perfectionem haberent: cum vniuersum melius sit suum esse, quam quodvis aliud esse impossibile. Et pugnans contradictoriè cum ipso, quod, si in ipso poneretur, atque illud aliud esset, periret. Citato vero loco ex communi sententia nondum exactè discussa locuti sumus, quousque hic rigide rem examinarem, atque explicarem, verba Anselmi.

6. Est tamen aduertendum in Anselmi verbis, ne ex illis aberrandi occasio a nonnullis assumatur, notante ab Anselmo dictum: *quod melius est in aliquo,* non tamen alieni quod dici deberet, si melioritas respectu illius, seu totius, in quo simpliciter simplex perfectio est, esse deberet, ac non potius respectu alterius, quod deterius est. Licet autem in exemplo hominis non auri, & auri oppositi, & pugnantis, seu impossibilis cum homine non auro, dicat melius esse hominem, & non aurum esse, quam aurum homini esse non ideo dixit, quia ei tanquam termino cui melius verè, ac reipsa sit: cum homo non aurum, homo non aurum sit, potius, quam homini vel hominis bonum rigide loquendo; nec esse aurum homini melius, rigore sermonis, homini dici, esse queat. Sed ita locutus est Anselmus (licet, neque ita ex sermonis proprietate, neque ex sententia, quam volebat exprimere) vt eam nobis aliquatenus insinuaret exemplum quo (vt valgo dicitur) non requiritur veritas, sed æqualitas simili udo ad intentum explicandum. Patetque id in exemplo odem hominis non auri, quod adhibuit ad perfectionem simpliciter simplicem explicandam: in qua quidem perfectio simpliciter simplex, sicuti neque in creatura vlla, non est.

7. Quod

7. Quod si melioritas perfectionis simpliciter simpliciter respectu alterius, seu aliorum à sic perfectio necessario futura sit, vt ostendimus, nullam creaturam perfectionem simpliciter simplicem habere posse aperre monstratur: quia nullus creatura, etiam nobilissima, esse, quod est aliorum omnium identicum non esse, melius est quam aliorum omnium esse. Cum inter reliqua omnia esse Dei sit, quod est non esse identicum illius creaturae, etque infinitè melius. Denique inde etiam facile ostenditur nullam creaturam partialem in quouis ordine posse vltatenus esse simpliciter simplicem perfectionem. Tum, quia pars quatuor creatura necessario est, cum Deo partem esse repugnet, vt vidimus supra. Tum etiam, quia, vt dicebamus, parti omni repugnat perfectionem absolute esse, imò & in aliquo genere, atque adeo in illo etiam est perfectio secundum quid vt diximus numero 4. Nequit autem quod perfectio absolute non est, perfectio simpliciter simplex esse. Licet autem partes physice perfectiones secundum quid dici queant; at perfectiones simpliciter simplices, adhuc secundum quid dici non possunt: quia est manifesta in terminis ipsis atque (vt vulgo dicitur) in adiecto implicatio.

CERTAMEN II.

Perfectionem absolute, & multo magis simpliciter simplicem, Dei propriam, & speciale attributum esse.

1. Plures continet præpositus titulus conclusiones ab omnibus receptas. Prima est Perfectionem absolute, & simpliciter talem Deo conuenire. Probatur facile ex definitione cuiusmodi perfectionis explicata à nobis certam. 1. à numero 2. Perfectum enim per Aristotelem, & Doctores omnes citatos ibi est: *cuius nihil est extra, siue id extra quod nihil illorum*, quæ ipsius sunt, siue ad ipsum spectant, *accipi potest*. Ex quibus perfectionis absolute talis abstracto nomine significata definitio hæc erit. *Coniunctio, & integritas omnium, quæ ad aliquod ens, vt eius formaliter vel materialiter spectant*. Extremis verbis explicui illud, quæ ipsius sunt, vt creaturas quæ Dei proculdubio sunt effectiue, & dominariue, & tamen Dei perfectionem non intrant, excluderem. Sic autem ex ea definitione pro maiori posita discursum perficere: in Deo est verè coniunctio, & integritas omnium, quæ ipsius esse possunt: ergo perfectio absolute talis. Minor constat. Nihil enim, quod Dei formaliter esse possit, ei deficit, non solum coniunctione visionis physice, sed coniunctione identitatis realis, vt singula percurrendo patebit. Secundo ex prædicato entis à se, infinitatis, & simplicitatis demonstratur. Materialiter autem nihil ei physice deficit ex his, quod ipsius sit, esse debet: quia omnino simplex, & spiritualis, ac indiuisibilis est.

2. Secunda conclusio. In Deo est summa perfectio absolute, & simpliciter talis per essentiam. Duo in hac conclusione continentur. Primum, Perfectionem Dei esse summam. Probatur primo: quia non est vnde diuina integritas, & coniunctio omnium, quæ ipsius formaliter sunt, limitetur, aut aliquid quod ad eam integritatem possit confluere deficiat: cum ab alio non sit. Hoc argumentum, etsi negatiuum, evidens est ad negationem, & defectum alicuius formalitatis, quæ Dei esse possit à Deo relegandam. Eius vero positionem necessariam positiuo termino, quæ negatio, & defectus formalitatis à Deo formaliter excluditur, è positiuo prædicato, & termino entis à se positiue demonstrare quilibet facile poterit. Ex quo cuiusvis prædicati infinitas, atque, vt sic loquar, summitas demonstratur. Iterum demonstratur ex eo, quod sit in eo omnium entium, perfectionum possibilium creaturam productiua potentia, ad quam eminenter debet omnium rerum perfectionem possibilem præcontinere: ac proinde ei, con-

Christoph. de Ortega, de Deo Vno. Tomus I.

iunctim etiam sumptæ, excellere: cum eius coniunctim etiam sumptæ causa æquiuoca principalis, imò prima, & principalissima, sit. Quæ de re egregie loquuntur Patres Dionys. 5. de diuin. nomin. lib. 4. capite 37. Cyrillus 1. contra Iulian. sub fin. vbi plura refert ex Philosophis, Platone, Porphyrio Hermene Trismegisto, quæ hic scripsit in Pimandro cap. 5. fine, & cap. 15. & Asclepius ad Ammonem Regem, verba recitat Soar. d. 30. metaphysic. section. 1. numero 3. secundum autem, quod ita perfectionem absolute dictam summam Deus per essentiam habeat ex omnium diuinorum identitate, vniuersa vnitare, atque reali indiuisibilitate liquido apparet.

3. Hinc multiplex differentia perfectionis diuinæ à perfectionibus creaturarum aperitur. Prima: Quod in his perfectio ab alio, & participata est; In Deo autem à se. Secunda inde: quod summa in eis non sit, sicut in Deo. Tertia: quod non per essentiam, & entitatem suam, sed per accidentia plura repta à creatura cuius perfectionem constituunt, diuersa earum perfectio absolute integretur, & conlinitur. Quarta: quod sit defectibilis in creaturis. Quinta, quod non in omni genere entis perfectio sit, ac proinde non absolute, sed secundum quid sit perfectio: quia in genere entis creati, quod imbibitis multis defectibus habet, dependentia, limitationis, quæ omnia, & similia fecus in diuina perfectione habentur. Contra præfatas conclusiones solum videtur pugnare communis difficultas de pluribus actibus diuinæ voluntatis, & scientiæ futurorum, quæ possent à Deo decerni, proindeque cognosci, nec tamen eorum decreta, & cognitiones adiunt de facto: cum tamen esse possent. Sed huic difficultati respondendi posset, etsi possint Deo adesse, at non debere adesse physice, vel moraliter, cum liberi sint: quare eorum ablationem defectum propriè, aut physicum, aut moralem non esse, vt Dei perfectioni obesse queat. Sed certe neque actus virtutum supererogationis debemus vilo genere debiti habere, & tamen ad nostram perfectionem spectant: quæ absolute dicta, non ea solum, quæ debentur, quorumque carentia defectus, & peccatum sit, siue physice, siue moraliter; sed ea omnia etiam, quorum in ente perfectio capacitas, & aptitudo est, coercet: est autem in Deo, ac nobis ad actus liberos, atque indebitos capacitas, & aptitudo, vt patet. Respondetur ergo in actibus voluntatis, & scientiæ Dei necessariis quicquid formalitatis volendi, & representandi, in liberis etiam est, formaliter etiam præconcineri: quare eorum positionem, vel defectum nihil Deo in genere volendi, aut sciendi addere vel minuire: quod mysterium libertatis diuinæ esse cuius explanatione nostra præfata difficultates euadent controuersæ.

4. Tertia conclusio. In Deo est perfectio simpliciter simplex per essentiam: quod in Deo cuiusmodi perfectio sit facile ex eius definitione demonstratur. Nam Deus est melior ipse, quam reliqua entia, quæ sunt non ipse, siue distributiue, siue coniunctim ea omnia sumantur. Ac proinde melius quid est non ipsa, quod est Deus, quam ipsa reliqua entia: ergo est simpliciter simplex perfectum: ergo in Deo est simpliciter simplex perfectio, siue qua nihil simpliciter simplex perfectum esse potest. Secundo probatur: quia simpliciter simplex perfectio est perfectio pura simpliciter sine vlla mixtura imperfectionis: ac proinde dicitur melior ipsa, & negatio aliorum omnium, quæ in ipsa est, quam reliqua omnia, quia in reliquis æque ac se non est simplex perfectio, sed imperfectionibus mixta: atqui in Deo est pura perfectio sine vlla mixtura imperfectionis: ergo simpliciter simplex perfectio. Quod autem Deo per essentiam, & entitatem suam physicam cuiusmodi perfectio cõueniat eadem ratione demonstratur, quæ de perfectione absolute dicta summa ostendebatur concl. 2. n. 2.

5. Quarta conclusio. Tam perfectio absolute talis, & summa, quam simpliciter simplex propria Dei, eiusque speciale attributum est, non transcendens prædicata diuina. Duo coercent conclusio. Primum utramque perfectionem Deo esse propriam, atque creaturis impossibilem. Id quod de perfectione simpliciter simplici, & sine vlla imperfectionis mixtura, patet: cum ab imperfectioni-

Q 2 bus

ORTEGA
In A. pari
D. VIa

bus enumeratis num. 3. & aliis pluribus supputari creatura nequeant: neque melior ipsa, quam non ipse modo explicato esse possit. De perfectione summa constat: quia est & prae dicto creaturae limitata, ac Dei perfectione exemplari omnium possibilium perfectionum causa longe inferior. Item: quia in Deo eminenter actiue æquiuoce, atque principaliter continetur; quod autem absolute dicta perfectio creaturae sit impossibilis: constat etiam, quia neque in genere entis, & absolute creatura perfecta est, sed summum in suo genere vnaquaque; quare & secundum quid, ut diximus supra hic, & certam. i. ergo perfectio absolute talis, ita est Dei, ut repugnet creaturae ulli conuenire: Quod ipsum est propriam Dei esse. Sed hoc nondum probat utramque perfectionem, neque earum adhuc alteram, attributum speciale Dei esse: quod est secundum in quarta hac conclusione contentum.

6. Id autem probatur: quia neutra perfectio, siue absolute talis, siue simpliciter simplex, est essentia metaphysicae Dei formalis, & metaphysicus conceptus, sed extra illum metaphysice, neque attributa reliqua Dei transcendit (qua solum duo satis sunt, ut speciale Dei attributum constituatur) ergo quare earum perfectionum est Dei speciale attributum. Antecedentis pars prima constat ex dictis questione 2. certam. 2. ubi bonitatem Dei extra essentia metaphysicae Dei conceptum esse ostendimus, atque difficultatibus oppositis fecimus satis: quare imperfectione, siue absolute tali, siue simpliciter simplici sunt clariora, ut ex secunda probatione statim patebit. Secundo probatur: quia essentia metaphysica Dei solo prae dicto entis continetur: aut perfectio; siue absolute dicta, siue simpliciter simplex, dicit omnium diuinarum formalitatum congeriem, coniunctionem, atque integritatem. Quod autem neutra earum perfectionum reliqua attributa, vel eorum aliquod, transcendat, certissimum mihi est. Cum eorum nullum formaliter metaphysice sit totum, sed pars metaphysice integrans, & constituens Deum: ac proinde iuxta perfectionis essentiam, & definitionem, quae in integritate, & in coniunctione omnium, quae rei sunt, consistit, nequit in parte metaphysica reperiri. Quod autem physice quodvis prae dictum diuinum sit totus Deus, nil refert, cum de attributis Dei, quae talibus, agitur: cum in ordine solum metaphysico, non autem physico attributa esse possint.

7. Adde reliqua attributa non solum perfectiones simpliciter simplices, aut absolute dictas perfectiones non esse, sed neque esse perfectiones, aut bonitates secundum quid, nisi quatenus integrant metaphysice Deum. Ratio autem est, quam dedimus supra questione 2. certam. 1. numero 2. & certam. 2. numer. 6. & quest. hac 3. certam. 1. numero 4. quia non solum partes metaphysice Deum integrantes sunt, sed quae entia substantiue metaphysice non sunt, sed solum adiectiue entia, quae iure identitatis cum Dei metaphysica essentia, seu ente à se substantiue, eiusque existentia, & sunt, & existunt: quare praecise, & secundum se sumptis, sicut esse, & entitas, quae prima bonitas, & totius bonitatis fundamentum in quouis ordine est, non adest, ita neque bonitas: quae solum adiectiue bona (sicut, & entia) adhuc secundum quid, dici possunt: quia vero, & ita bona sunt, & totum, seu perfectum simpliciter, & integrum metaphysice Deum constituunt, bonitates, & perfectiones Dei secundum quid dici quodammodo possunt: quouis enim attributo metaphysico Dei praeciso perfectus metaphysice Deus non stat. Quare, quasi causatiue vnumquodque Dei perfectio est, quam integrat: atque eo sensu Dei dici potest perfectio, non autem sermonis rigore, & proprietate. Perfectio autem, siue absolute dicta, siue simpliciter simplex omnino abusive dicitur, ut ex dictis constat. Vnde patet, quam frivole pro bonitate propria attributorum Dei, atque eius transcendentia obieciatur cert. 1. n. 5.

8. Denique dubitabis, an perfectio absolute talis, & perfectio simpliciter simplex duplex attributum metaphysice diuersum, an vnum solum debeant centri: Et duplex quidem adequatè diuersum non posse esse per e patet. Cum perfectio simpliciter simplex, perfectio

absolute talis necessario esse debeat. Addere vero aliquid aliud, ac proinde in adequatè differe, ex definitione data videbitur. Nimirum rationem melioritatis respectu aliorum omnium. Sed id etiam dicit diuina perfectio absolute: cum & prae dicto diuinae infinita, ac summa, omnium esse debeat, ac sine imperfectionis mixtura: quod ipsum est maiorem omnibus, ac perfectionem simpliciter simplicem esse: quare utraque perfectio diuina eadem est, licet aliis vocibus, vel aliis quandoque explicetur; ac proinde sub ea vocum diuersitate idem omnino obiectum, & prae dictum diuinum, idemque, & vnicum attributum diuinum significatur: de bonitate, & perfectione morali Dei agere proximum alicui videatur. Sed exacta de eis disputatio omnium, quae de voluntate Dei disputanda sunt controuersi, quarta, exactam noticiam supponit: quare de eis agere in eius controuersiae disputationem reseruauimus quintam.



QVÆSTIO IV.

De vita diuina.

NON agimus de vita, seu actibus viuents Dei in actu secundo, sed de vita, seu prae dicto viuents in actu primo: cuius examen praesentis disputationis est. Nam de actibus vitalibus diuinis earum potentis in particulari (cum solum intellectus, & voluntatis sunt) ad controuersias de scientia & voluntate Dei spectat disputare.

CERTAMEN I.

Deum viuentem esse: ac proinde in eo esse vitam in actu primo.

1. **S**upponendum in primis est ex controuers. de animae in principio vitali, seu viuente in actu primo cuiusvis vitae creare genere, etiam intentionalis, duo inueniri: scilicet rationem principij se mouendi (in qua ratio veri principij actiui physice & passiu actus vitalis necessario inuoluitur) ac proinde Deo respectu suorum actuum omnium omnino repugnat, cum quibus Deus adequata identitate physica reali identificatur. Huius enim perfectissime unitati, & indissolubilitati actio physica & passio realis (quae non, nisi inter realiter physice distincta esse potest) omnino contradicit: licet creaturis, quibus ob suam imperfectionem diuisio realis physica à suis actibus, & perfectiuis non repugnat possit conuenire, ac de facto conueniat. Hanc vitam, & viuents modum vitam physicam citato loco nominabamus creaturis propriam, & deoque indignam. In nonnullis vero viuents perfectionibus, ut intellectibus, & intentionibus (e quibus solis Deus est) alius vitae, & viuents conceptus, tam in actu primo, quam in actu secundo simul inuenitur. Nimirum, ut in suo conuatuuali statu posita sese actiue, atque aliquo modo perficiant, possint perficere, & actu cognoscendo, vel intendendo, aut amando aliqua. In quo nullus physiceus, & realis motus, actiue, aut passio physica viuents formaliter intercedit (ut de se patet, atque controuers. de scientia Dei ostendimus) sed intentionalis uti eam citato loco appellabamus. De huiusmodi ergo vita intentionali vera, & reali, nec physica, nec per rationem ficta, sed Deo digna agimus, dum de Dei vita, atque an viuens Deus sit: disputamus: licet alio vitæ physice genere viuentem non esse Deum respectu suorum actuum omnium (ut diuinas processiones excludam, de quibus, quoad earum vitalitatem, controuers. de Trinit. disp. 3. agimus late) certum Catholicis Doctores

ribus est. Idcirco Theologi, qui Deum viuere, quia perpetuo se immanenter, & perfectius mouet cum Platone docent, de motu, & perfectione intentionalibus benigne interpretandi erunt.

2. Deum igitur viuentem esse, atque vitam habere certum ex fide est. Sæpe enim, ac sæpius quam recitari hic oporteat, Deus viuens, & viuus in scriptura veraque veteris, & noui testamenti expresse dicitur, vnum tantum, vel alterum locum perstringam Daniel. vii. *Domini- num Deum meum adorabo, quia ipse est Deus viuens.* Ioann. i. *Pater, & Filius vitam in semetipsis habere dicuntur.* Apocal. i. *Adorauerunt viuentem in secula sa- culorum.* Et Prophetæ passim. *Viuat Dominus in cuius confectis ste.* Id etiam ostendunt ea scripturæ loca, quibus Dei scientia, amor, & prouidentia exprimitur: ea si- quidem omnia, & singula vitales actus sunt, & qui non nisi à principio vitali, & viuente possunt haberi. Ea vero testimonia, tum, quia plura, tum quia pro prioribus eor- um æquum sedibus, & controuersis recitanda necessario sunt, repetitionis vitandæ gratia in præsentiarum omis- timus. In hac porro veritate, & alia scripturæ sacræ ve- ritas fundatur Ioann. i. illis verbis: *Quod factum est in ipso vita erat.* Id est, quod factum est, quantumvis trun- cum, & inanime in se sit, in Deo, in quo omnia, tanquam in principio, & exemplari, & efficiente primo, & princi- palissimo eminenter sunt, imo, in quo Deus ipse creatura omnis est, vita quidem ipsa, & viuens perfectissimum est: quæ, nisi Deus vita, viuensque nobilissimum foret, vera esse nunquam posset, vt de se patet.

3. Naturali vero ratione Deum viuere, vitamque ha- bere adeo constat aperte, vt Augustinus conione 2. in Plal. 113. dicat, gentes nullatenus ligneas aut lapideas, aut æreas statuas, sine aliquo viuente earum incola, tan- quam Deos adorasse. Probaturque primo demonstratiue potest. Quia substantia viuens melior è genere suo est substantia non viuente: atqui Deus optima, & perfectissi- ma substantia est: ergo substantia viuens est. Secundo demonstratur demonstratione, qua vius est Dauid Plal. 93. contra impios stolidos, (ex quo, & nos vremur controu. 2. Dei scientiam essendentes) verbis illis *Qui plantauit au- rem, non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* Et quæ demonstratio ad ostendendum vitæ, ac viuientis prædicatum viuensum ita efformatur. Quicquid creatum est, & singulatum, & coniunctum sumptum, à Deo tan- quam à causa prima, & principalissima est: atqui in crea- tis plura sunt viuentia, & habentia vitam: ergo Deus est viuens, & habet vitam. Consequenter probatur. Quid- quid ab alio principaliter est, in eo continetur vel forma- liter, vel eminenter: Sed viuentia creata à Deo princi- paliter sunt, vt in maiori assumebatur: ergo viuientis creati ratio erit in Deo, vel formaliter, vel eminenter. Maior est per se nota: quia nemo dat, quod non habet: quare, quod principaliter dat aliquid esse, habere illud, & con- tinere in se debet principaliter: nequit autem princi- paliter illud continere, nisi formaliter, vel eminenter illud, & præhabeat, & præconineat. Elige ergo: an velis in Deo admittere rationem viuientis formaliter vel eminen- ter: nam alterutrum admitti consequentia cogit: si formaliter (licet aliunde erres, creatam viuientis ratio- nem, etiam qua creatam, in Deo admittens) interitum no- bis concedis.

4. Si autem dicas eminenter solum viuentia cuncta tam facta, quam possibilia à Deo contineri: ac proinde, & prædicatum viuientis, non formaliter, sed eminenter solum in Deo esse (quod satis ad potentiam viuentium omnium productum est) vim demonstrationis non effu- gies. Licet enim an omne viuens perfectius sit omni non viuente? vel possint potius aliqua viuentia imperfectiora aliquibus non viuentibus esse, ac proinde eminenter ab his contineri, & produci queant? quæstio esse possit. At vero gradum viuientis perfectiorem de se, & genere suo gradum entis esse, quam non viuientis apud omnes hæc- tus indubitatum est, atque, vt per se notum, receptum: sciri & viuientis sensui gradum entis perfectionem in sensu, & intellectum pure sensu esse meliorem (vt Augustinus ait 11. de ciuit. c. 16. sunt enim nobiliori modo, & immatiori, ac subtiliori aliis operatiua. Hinc euident est perfectissimum ens ex ordine, & gradu viuentium perfectius necessario fore perfectissimo ente

ex inferiori gradu non viuentium: ac proinde à nullo ente ex gradu non viuentium posse eminenter contineri; atqui creata viuentia, non solum nobilissima eius ordinis seorsim, sed cum reliquis omnibus viuentibus, eminen- ter per te continentur à Deo: ergo Deus non est non vi- uens, & inanime, sed omnino formaliter viuens, atque eminentiori modo, quam viuentia reliqua viuens. Similis demonstratio Deo causa exemplari, & idea creatorum omnium, & clarior efformatur: siquidem ea omnia, quæ in eius effectis sunt, exemplar debet formaliter contine- re: eis exceptis, in quibus illi ab exemplari causa defi- ciunt: cuiusmodi sunt creaturarum imperfectiones, & de- fectus ipsis necessarij, ac Deo impossibiles.

5. Demonstrari denique ea conclusio posset eis om- nibus demonstrationibus, quibus Deum intellectum, & volitum esse, scientemque, & volentem citatis demon- strabimus controuersis de scientia & voluntate Dei: ex demonstratione enim speciei legitime, & infallibiliter genus demonstratur. Imo ex intellectuali Dei vita Deum viuentem genericè esse demonstrant. Arist. 12. metaph. fine, & S. Thom. 1. p. q. 18. art. 3. Ne tamen importune hic scientiæ, & intellectualitatis demonstrationes, postea oportunius necessario adhibendæ, inferantur, modum demonstrationis huius indicasse satis in præsentiarum fuit.

CERTAMEN II.

*Deum infinite, ac summe viuentem per-
essentiam, attributaliter tamen, esse:
ubi huius prædicati à simili creatu-
rarum distinctio.*

1. EX demonstratione proxime facta facile demon- stratur Deum summum, infinitumque viuens, & principium vitæ actualis suæ, siue suarum operationum vitalium esse. Cum enim principium omnium possibili- um viuentium sit: atque inde ea omnia continere in se, imo præconineare ad eiusmodi adiuuaretatem debeat, vi- uentis ratio in Deo nequit, non eis omnibus in ratione viu- entis excellere: quod, nisi summum, & infinitum quid in ratione viuientis Deus sit, fieri minime potest. Sed dic- ces ex potentia productiua omnium viuentium possibi- lium inferri potentiam excellentissimam, seu continen- tiam actiuam eorum omnium, quæ quidem vitalis non est, ac proinde nec principium vitæ. Etenim ea conti- nentia, & actiuitas omnipotentia, vel potius omnipoten- tia est: quæ formaliter potentia vitalis in Deo non est: cum non sit virtus productiua Dei immanenter, & in se, sed ad extra, & transeuntur secundum se totam. Secundo: quia etiam virtus productiua viuentium creatorum om- nium possibilem, est formaliter à potentia productiua Dei non viuentium creatorum diseret (quod abnuimus, cum in Deo vnica & indiuisibile metaphysicè & for- maliter adhuc possibilem omnium, ac proinde è conce- ptu suo indiuisibili omnipotentiam admittamus d. 3. q. vii.) licet principij; & potentia vitalis creati productiua sit; aut potentia vitalis Dei non est: cum viuens creatum actus vitalis Dei non sit.

2. Ex ea vero rationis huius nostræ solutione videretur demonstratio nostra secunda pro prædicato viuientis in Deo efformata cert. 1. n. 3. labefactari. Idcirco eam to- tis suis verbis, ac omni suo robore explicato proposui, vt eis succissis eneruis, tum pro præfenti, tum pro argu- mentis aliis similibus, quæ passim ex eodem principio continentia eminentialis principium agentium tam in Philosophia, quam in Theologia instrui solent remaneat. Præceditur autem si vulgarem æquiuocationem continentia eminentialis, & actiuitatis agentium detega- mus ea vero in eo stat: quod continentia eminentialis eorum, quæ in effectum, idem formaliter, quod actiuitas, putetur: cum tamen sit quid diuersum & metaphysicè prius. Continentia enim eorum non est in ordine ad effe-

atum, sed ad id, in quo potentia, seu virtus effectiva est: cui ea omnia eminentiori gradu, quam in effectu adesse formaliter debent: in causa etiam æquiuoca principali ipsius: sicut in causa vniuoca principali formaliter debent adesse, vt virtus effectus vniuoci actiua in eo sit. Est autem continentia hæc siue formalis, siue eminentialis metaphysicæ, quam potentia, & actiuitas sui effectus prior: quia nemo non solum non dat, sed neque dare potest, nisi dandum præhabeatur: de nondum enim habitis, ac præhabitis, nec moralis, aut ciuilibus, nec physica donandi potestas esse potest. Ex hoc autem constat, quod, licet, quia potens Deus viuencia producere viuens formaliter Deus non sit, quia eiusmodi effectus vitales Deo non sunt, ac proinde ab omnipotentia, quæ vitalis formaliter non est, vt solutio dicebat, proueniunt: at ratione eminentis præcontinentiæ eorum, quæ viuencia sunt, necessario ad eam potentiam præsupposita viuens formaliter eminentissimo modo Deus esse debeat: ac proinde summe atque infinite viuens vi eis demonstrationibus ostenditur.

3. Probatur secundo non absimili demonstratione conclusio ex prædicato ideæ, seu causæ exemplaris creaturarum, quæ in Deo metaphysicè est, seu quæ est physice Deus. Si enim Deus causa exemplaris possibilitatum viuentium perfectiorum, & perfectiorum, imperfectionibus seclusis, in Deo esse debent: alioqui aliquorum idea non esset, & exemplar, quod in eorum effectione imitaretur Deus: aliquaque essent viuencia, quæ sui rationes ab ipsis imitabiles in Deo non haberent. Si autem omnium, & singulorum viuentium possibilitatum perfectiones coniunctim in Deo, cuiusque prædicato viuentis formaliter inextinguibili indiuisibiliter metaphysicè sunt: ergo est in eo ratio viuentis infinita. Dices viuencia possibilia finita esse: quare ex omnium continentia siue actiua, siue exemplaris causæ in Deo non argui infinitatem gradus, seu prædicati viuentis. Certe, si continentia hæc causæ, & virtutis actiua, & exemplaris in Deo vniuoca esset, atque ad annullum, vt dicitur, teneret solutio admissa finitudine viuentium creatorum possibilitatum, quam admittimus modo. Est autem non vniuoca, sed æquiuoca, principalissima, quæque ad omnia impossibilia, si possibilia essent, quatenus de se extendi potest: cum neque ab illis, nec dependenter ab eorum possibilitate sit, sed ex necessitate omnino absoluta Dei, diuinique physici esse. Tertio huius prædicati summitas, atque infinitas demonstratur ex prædicato entis à se, ex quo diuinorum omnium in suo genere infinitas, ac summitas demonstrata à nobis hætenus fuit. Quarto ex infinitate diuinorum actuum vitalium.

4. Quod autem summe, atque infinite viuens Deus per essentiam sit (dummodo de essentia Dei metaphysica non intelligatur, cuius attributum esse prædicatum diuinum viuentis tertia conclusione ostendimus, sed de physica) secunda est præpositi tituli conclusio, facillime probata, sicut de aliis attributis questionibus antecedentibus probauimus. Primo: quia ad essentiam physicam Dei, entis perfectissimi, atque absolutissimi, spectat, quidquid in genere entis possibilis perfecti quomodolibet inueniri potest ab omni tamen imperfectione supputatum. Huiusmodi autem est prædicatum viuentis diuinum: ergo Deo per essentiam physicam competit. Secundo ex diuina simplicitate, & indiuisibilitate omnimoda Dei supra demonstrata, cum qua pugnat diuini alicuius prædicati ab essentia, aut quouis alio prædicato physica distinctio. Tertio ex prædicato entis à se, ex quo non nisi cum omnibus diuinis prædicatis, in suo quodque genere, infinitis esse physice potest. Ex quo ulterius sit Deum viuentem non solum in actu primo, sed & in actu secundo per essentiam suam physicam eisdem argumentis demonstrari. Hæc multiplex Dei, quæ viuentis à creatis viuentibus discrimen. Primum: quod à se viuens sit. Secundum huic proximum: quod infinite, ac summe viuens. Tertium: quod per essentiam viuens non solum in actu primo, sed etiam in secundo. Quartum: quod viuens vita intentionali à physica reipia distincta Deus sit. Quintum: quod omnis creatæ vitæ, tam in actu primo, quam secundo principale agens, & exemplar sit. Horum nihil viuentibus creatis competit: ac proinde excellentissima eminentia diuinæ vitæ præ creatis cunctis pos-

sibilibus viuentibus luculentissime ex eis monstratur.

5. Tertia conclusio. Prædicatum viuentis attributum, seu attributum spectale Dei est. Quod spectale attributum Dei sit, si sit attributum, planum in nostris principis est, qui diuina attributa neque inter se se, nec cum essentia metaphysicè confundimus: cum nulla in eo sit transcendentiæ per attributa reliqua in prædicato viuentis, vel leuis, umbra. Quod autem attributum sit metaphysicè ab essentia metaphysica Dei diuisum in nostris etiam principis patet: quia in ente à se (quo tota Dei metaphysica essentia continetur) viuendi ratio non clauditur. Dices saltem in prædicato viuentis ea ratio clauditur: quare secundum se totum attributum non erit. Hæc obiectio reliqua enumerata attributa diuina tangit: in nostris tamen principis nihil virget, siquidem diximus sæpe attributa omnia non esse à se, seu non esse entia à se substantiæ metaphysicæ, sed adiectiue. Contra reliquas vtriusque certaminis conclusiones nihil momenti obijci potest. Ex eminenti enim vita pure intentionali Dei, neque realis influxus in actus vitales, quare neque ab eis viuentis Dei realis distinctio inferri vt vidimus cert. i. num. 1. quod autem non nemo dicere possit: gradum viuentis intellectualis, quem solum Deo ascribimus, supponere in viuente gradus vitæ nutritiæ, & sensitiuæ, qui Deo repugnant, vt patet ex coordinatione prædicamentali substantiæ vitæ ad hominem, qui viuens intentionale etiam est, nihil præstat. Tum, quia Deus in linea prædicamentali non est, sed supra illam neque eo modo, quo creatæ quæ in ea ponuntur, viuens, sed supra viuens. Tum, quia, neque viuencia pure spiritualia perfectiora, quæ vita etiam intentionali viuunt, eos gradus vitæ in sua linea supponunt. Supponit autem eos homo, quia absolute corporeus, atque à sensibus pro hoc statu ad intelligendum dependens.



DISPUTATIO VIII.

De Omnipotentia Dei.

SI omnia quæ ad Omnipotentiam, cuiusque operationes, & concursus cum causis secundis spectant, disputanda hic essent, non longam disputationem solum, & controuersiam, sed fortassis totum integrum texeremus. Sunt enim plura de necessitate & modo concurrendi Dei per suam potentiam cum causis secundis, tum liberis, tum necessariis, tum naturalibus, tum supernaturalibus, & ordinariis, & extraordinariis prouidentia. Hæc autem omnia, quia, & propriioribus aliis Philosophis, & Theologis locis disputata à nobis, & disputanda sunt, & ad Dei attributa, quæ hic secundum se examinantur, non pertinent, sed ad extrinsecas attributi Omnipotentis operationes, & effectus: proinde eorum examen aliò, atque aliò remittimus. Hæc igitur in præsentiarum de Omnipotentia examinanda. Primo: an sit Omnipotentia in Deo? Secundo, quid sit? Tertio, an ex alio prædicato Deus cum illa connexus sit? examinabimus. Quarto, an Omnipotentia, vel aliquid Deo intrinsecum sit formalis possibilitas creaturarum? Quinto, an chimærum impossibilitas omnipotentis, aut diuino alicui identificentur?

Sexto, an carentia rerum contingentium in aliquo diuino consistat, Deoque proinde identificentur? Tria postrema hic disputare nos cogunt inuitos nescio qui Recentiores.

QVÆSTIO